

de quo ait sanctus apostolus¹⁾: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*. Addidit, quod prefata ewangelia et epistole non sint testamentum eternum, quia sint peritura et non perpetua, ideo est testamentum mortis. Sed illud testamentum eternum est interior instinctus sui spiritus, concludens se non teneri^{a)} obedire testamento mortis, sed vite, ut supra dictum est.

(Correlarium primum)

Ex eodem fundamento fatetur se non obligari ad abstinenciam a carnibus feriis sextis; ymmo die veneris sancta comederet^{b)} carnes si apponerentur ei, quia si tunc non comederet, peccaret contra ewangelium, quod iubet comedere, quecumque apponuntur²⁾.

(Secundum correlarium)

Ex eodem fundamento confessus est, si emisisset quecumque vota deo aut sanctis, non obligaretur ad servandum^{c)} ea, nisi spiritus suus illud sibi suggereret.

(Tercium correlarium)

Ex eodem fundamento fatetur nec se nec alios homines obligari ad oracionem vocalem, sed quod^{d)} qui vult, potest orare vocaliter, qui non vult, potest obmittere. In cuius signum interim quod ipse se ipsum non habuit, aliquando nichil oravit; postea scripsit librum quendam, ex quo motus est orare officium; tandem in captivitate positus dicit se aliquando una^{e)} die plus orasse quam prius in octo annis fecerat^{f)}.

a) teneri *fehlt R* b) comedere *R* c) observandum *R* d) quod *fehlt R*
e) uno *R* f) *R schaltet hier ein (teilweise wiederholend)*: Materia tertia: de novo testamento. Post hoc interrogatus de novo testamento respondit, quod ipse non tenet illud esse novum testamentum, quod scriptum est in libris [continentibus] ewangelia et epistolas apostolorum, quod illa non sunt perpetua, sed habent finem. Et sunt, de quibus apostolus dicit: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*. Ideoque vocat novum testamentum mortis; sed ipse tenet novum testamentum esse in interiori homine, ymmo in interiorem hominem, quod illud est perpetuum, quod habet hic inchoationem et in celis perpetuam dominacionem, et vocatur ab apostolo *ministerium glorie* [2. Cor. 3, 9]. Insuper concludit, quod ipse non tenetur obedire testamento mortis, sed solum testamento vite supradicto. Et breviter asserit ex eodem, quod interim, quod a spiritu rectus est et in spiritu vixit, abiecit a se omnem christianitatis vitam acsi fuisset equus aut bestia, de hoc laudans deum, nec unquam hoc penituit eum.

1) 2. Cor. 3, 6.

2) Luc. 10, 8.